I/136.

S. Iam tempus est Ioachime doctiss. ut commentariolo meo frena laxentur,
ut prodeat in lucē (ita nanq; vult Glareanus antea meꝫ, nunc noster) postq̄
remissus est abs te, et epigrāmate commendatus. Breuib. igitur accipe quid
velim. Libellū transcurrito, si licet per ociū, totū, sin licet minꝫ, perspice
partim Heluetiarū descriptionē; hanc nolo omittas, omitteres nō sine malo
meo. Nam Topographicas depictiones nō adeo multas hactenus vidi, nisi
scriptas pro tempore, ut apud Cæsarē, et alios. q̄obrē neminē habui, q̄m
mihi proponerē. Quid autē erratū, quid bn̄ scriptū sit, tu, q̄m nihil late
fugit, indicare poteris exactissime. Vidisti Tigurū, Lucernā, Vriā &c
Rem et verba comparato, deīn iudiciū facito nō amici, minꝫ adulatoris,
sed iudicis severissimi, siquid .n. hallucinatū, malo nasū tuū, hoc est,
hominis et doctiss. & amiciss. q̄ inimici cuiuspiā. Me capis. Oro
itaq; te atq; obsecro, horas tibi aliquot suffureris, ut amico consulas. Reli-
quū est, ut intelligas, q̄ omnia tua placeant Glareano, inprimis autē iudi-
ciū de me tuū. Quod .n. tibi placeo (id nempe ad eū scripserā) nemini
displiciturū esse confidit, utpote cui nihil potest, quod nō rectū est, arride-
re. Ita scripsit Glarea. Lætatur itē maximope, quod toties, tanq; honorifice
sit in poëtica tua nominatus, aliisq; tuis lucubrationib., quas Conradus noster
ei exhibuit. Quantū in me est, oro deū, ut amicicia lris vestris accepta,
perpetuo maneat. Me interi sinite vobis esse a pedibus. Vale feliciss.
atq; amico obsequere. Tiguri Pridie Idus Novemb. Anno M. D. XVIII.

Tuus Myconius

Joachimo Vadiano doctiss.
Amico incoparabili.

Ad S. Gallu.